

4214

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS,
AD
MEMORIAM
REFORMATIONIS
LUTHERI,


IN
Templo Paulino, cras pie
recolendam,

ILLUSTRISSIMOS DNN. COMITES,
UTRIUSQUE REIPUBL. PROCERES,
AC CIVES ACADEMICOS,

ea, qua decet, humanitate,

INVITAT.

214



Quantum sit Dei optimi maximi benefici-
um, quod ante hos centum & octoginta
quatuor annos, Martinum Lutherum ex-
citarit; qui incredibili virtute atque in-
victa animi constantia purgandæ religi-
onis negotium aggressus est, multi igno-
rant, pauciores agnoscunt, atque ut par
est, grata mente deprædicare solent.
Nam quæ in regno tenebrarum, hoc est, Papatu, ante Luthe-
rum fuerit calamitas, illi tantum intelligunt, qui ex tempo-
rum istorum annalibus cognovere, salutarem Evangelii do-
ctrinam cum morum disciplina, cleri vitio fuisse maxime
contaminatam. Lux enim Evangelii a Christo & Apostolis
incensa, lateque per terrarum orbem sparsa, invalescentibus
in Ecclesia jam plantata tenebris, obscurata erat, tenebræ &
superstitiones ubique regnabant; ut tuta ac vera via, quæ ad
Deum per Christum ducit, ignoraretur, paucisque in tanta
rerum divinarum ignorantia inveniretur. Quia verbum Dei,
quod lumen pedibus nostris est, a Doctoribus negligebatur,
eiusque loco cleri Romani placita tradebantur, ac
aniles fabulæ illi præferebantur. Inde omnia superstitioni-
bus oppleta, ut celebris monasterii Neihusani in Vangoni-
bus Abbas postea dixerit: *Wenn Luther nicht kommen wä-
re/ sie hätten die Leute überreden wollen/ daß sie Heu gefres-
sen hätten.* Quod dictum quoque cujusdam Canonici Her-
bipo-

bipolensis fuisse, *Melchior Adami* memorat. Ante hos, ut plurimos alios veritatis testes, quos *Flacius* recenset, hic taceam, *Johannes Keiserbergerus* Ecclesiastes primæ ædis Argentinæ, ad Jacobum Wimpelringum perscripserat: *Quid dicam de mea gente? Multos Theologos, Theopilos producit paucissimos. Si tamen aliquos, acutos nimirum disputatores, proximorum & Dei dilectores nullos. Deus misereatur nostri, qui omnem absumimus nostram ætatem in nugis non solum humanorum studiorum, sed & divinorum: in quibus utique nuga sunt, dum Dei scrutamur majestatem, & nostram negligimus considerare infirmitatem, ignorantias & malitias. Nihil de virtutibus, quemadmodum efficiamur boni, casti, mansueti, humiles, liberales, modesti, temperati, charitativi, misericordes, patientes, de hoc quis se Theologorum etiam religiosorum intromittit? Cum male ergo doceretur ac crederetur, quid mirum, si pessime etiam & Clerus & populus viverent, moresque omnium essent inquinatissimi? Ipse id Carolus V. imperator, sacrificulis de Lutheri ausis, in Comitibus Augustanis conquerentibus, testatus est, quando velut indignabundus respondit: **Wäret ihr Pfaffen fromm/ so hätteet ihr keines Luthers bedurfft.** Hæc cum superstitione, morumque corruptela animos hominum occupasset, Romanæ sedis Præsul seu Pontifex, & Clerum & populum, imo ipsos summos orbis Christiani Principes sub jugo, quod illis imposuerat, cæca obedientia, multis artibus adhibitis continere studebat. Præsertim cum majori, quos vocant, Laicorum parti persuasum esset, vera esse omnia, quæcunque ipsis a Magistris suæ religionis, adprobante Pontifice traderentur. Magna etiam pars eorum erat, qui ea, quæ divinitus circa Dei cultum præcepta fuerant, distinguere ab iis, quæ sui commodi causa Clerus adjecerat, nesciverunt. Quum id operam astutiores in Papatu Clerici darent, ut, quæ mani-*

festam & nefandam superstitionem arguerent, specie exteriori & religionis simulatione tegerent, ne in vulgus fraudes istæ emanarent. Quæ cum esset Ecclesiæ & reipublicæ misera ante Lutherum facies, & multæ passim inter pios, gemitus & querimoniam audirentur publicæ, nemo contra prævalidam Pontificis Romani potentiam insurgere ausus est. Deus autem, cujus consilia & opera miranda semper sunt, Martinum Lutherum, Saxonem Islebium, Monachum Augustinianum, Theologiæ in nova tum Academia Wittebergenfi Doctorem & Professore excitavit; ut contra omnium opinionem, salutare Reformationis Ecclesiæ opus, ceu Johannes Hussus & Hieronymus Pragensis centum ante annis prædixerant, auspicaretur. Audax hoc facinus omnibus, qui humana tantum consilia & ausus pensitant, videbatur. In vivis tum adhuc erat cordatus alias & eruditus Canonicus Hamburgensis, gravissimusque historicus, *Albertus Cranzius*. Hic dum de Lutheri cœptis inaudivisset, dixisse, *Cytrao teste, fertur: Mi frater, Martine, abi in cellam tuam, & dic miserere mei, Deus!* Wittebergæ etiam Prior & Supprior, ut ipse Lutherus memorat, metu percussi, Lutherum agitant rogantes; *parceret ordini suo, nec illum ludibrio hominum exponeret; jam in sinu gaudere Dominicanos, in ignominia suæ societatem Augustinianos monachos venisse.* Quibus Martinus respondit: *Totum hoc concidet, si in nomine Domini cœptum non est. Sin autem; Deo rem committite perficiendam.* Nimirum illi, humana consilia, quæ maxime fallacia sunt tantum respiciebant: Cum memoria hominum nondum excidisset, quod nuper Maximilianus I. Imperator & Ludovicus XII. Galliarum Rex, anno MDXI. de emendando Ecclesiæ statu consilium agitassent. Extant apud *Goldastum* edicta laudatorum jam Principum Europæ præpotentum facta, *de con-*

*éando & celebrando concilio Pisano, pro necessitate & utilitate
Reipublicæ Christianæ, contra Julium II. Papam.* Ubi in Im-
peratoris edicto mandatur legatis, ut Papam appellent,
de Concilio universali convocando; tum si Papa cuncte-
tur, ut Cardinales appellent; si illi quoque detrectent, ut ipsi
inducant. Si accessus ad Pontificem & Cardinales non con-
tingat tutus, per edictum & affixionem faciant, quod in man-
datis habent. Jam anno præcedente Pontificem & Clerum
in ordinem redigere Maximilianus Imperator ausus erat;
quando centum adversus Curiam Romanam gravamina colli-
gi curavit: Sicut ex ordinum Protestantium rescripto de re-
cusatione Concilii Tridentini constat. At Pontifex operam
dedit, ut hæc Maximiliani destinata perverteret, ipsumque
a salutari proposito emendandæ Ecclesiæ abstraheret. Inde
Pontifex insolentior factus, adversus concilii Pisani autores
fulminibus brutis sæviit, Regemque Galliæ etiam diris devo-
vit. Sed ille, ut *Tbuanus* memorat, contraria obnunciatione
diras revicit, cuso etiam nummo aureo, qui titulos Regis
Franciæ regni que Neapolitani, cum effigie sua ex una parte, &
insigne Franciæ ex altera parte referebat, cum hoc elogio:
PERDAM BABYLONIS NOMEN. Cum igitur summo-
rum in orbe Principum destinata adversus Papam, ejusque re-
gnum tyrannicum frustra essent; humanæ rationi absurdum
videbatur, id ab inermi & abjecto Monacho effici posse, quod
supra Summarum Potestatum in orbe vires fuerat. Verum
cum tempus reformandæ Ecclesiæ maturuisset, Deus contra
Sapientum seculi opinionem, per infirmum Monachum effe-
cit, quo de ante maximi Principes desperaverant. Facunde,
ut solet, in hujus operis commendatione, *Joachimus Camera-
rius* in vita Melanchthonis, providentiæ divinæ curam de-
monstrat. Historiam vero plenius ex certis illorum temporum

documentis, incomparabilis *Seckendorsius* exhibet. Profuit bonæ justæque causæ importunitas adversariorum, negligentia Pontificiorum occæcatorum, sive persuasio de infirmitate Lutheri & suis opibus, Caroli V. alienus a violentia animus, Friderici Sapientis Electoris Saxonæ gravitas, fides, prudentia; Philippi Melanchthonis eruditio cum animi moderatione in subsidium Luthero divinitus missa. *Thuanus* quoque impudentiam Leonis X. Papæ notat, qui Laurentii Puccii Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, indulgentiarum diplomata per omnia Christiani orbis regna, constituto pretio vendi curaverat. Ac licet Lutherus refutatis primum, mox damnatis Johannis Tezelii præconis indulgentiarum concionibus, Papam de hac impia nundinatione intermittenda aut cohibenda, placide monuisset; iste tamen minas & diras tantum Luthero opposuit, nec, ut de corrigenda quæstorum audacia & impudentia cogitaret, adduci potuit. Cum abrogatis etiam Constantiensis & Basileensis concilii sanctionibus, Lateranensi concilio auctoritatem suam extulisset supra concilium, ut tyrannicem in Ecclesia confirmaret. Hinc divino auspicio Lutherus noster post confutatas improbas Tezelii nundinationes, eo devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi arrogaverat, in dubium vocaret, ac tandem doctrinam examinaret, quam cleri potissimum vitio, successu temporis, in Ecclesia Romana labefactatam & humanis traditionibus corruptam fuisse probavit. Et quanquam ipse primum mandato Præsulis Brandenburgici parere & quiescere voluisset; accidit tamen divina directione, ut Johannes Eccius Ingolstadiensis, Sylvester Prieras, Romanus, Jacobus Hochstratus, Lovaniensis, Theologi S. literarum valde rudes, calamum adversus eum acuerent, ipsumque accenderent magis ad persequendum
divi-

divinum opus. Quo magis, ait Lutherus in Epistola ad Jo-
annem Sylvium, *illi furunt, eo amplius procedo, relinquo pri-
ora, ut in illis latent: sequor posteriora, ut & illa allatrent.*
Gratiam coeptis divinum Numen adspiravit mirandam, ut
heroicos ausus & divinitus destinata perficeret. Hoc est
Christi & Apostolorum doctrinam coelestem hactenus op-
pressam, in lucem protraxit, suamque majestatem iterum
verbo Dei, libertatem Ecclesiae, Servatorem unicum peccato-
ribus, ipsi denique Christo Servatori nostro optimo, qui tum
pra humili illi servorum servo vix fabula erat & nudum
nomen, decus ac gloriam vindicavit, imperantibus dignita-
tem ac jura, quae hactenus a Clero Pontificio conculcata fue-
rant, asseruit, atque ex divinis literis demonstravit, quam in-
dignis modis hactenus Papae Romano obnoxii fuissent habi-
ti. Audiamus ipsum Lutherum tanti beneficii haud vanum
praconem, tom. IV. Jenens. German. f. 431. *Es hatte nie-
mands gelehrt noch gehört/ wuste auch niemand etwas von
der weltlichen Obrigkeit woher sie käme/ was ihr Ampt
und Werck/ oder wie sie Gott dienen solle. Die Allerge-
lehrtesten (will sie nicht nennen) hielten die weltliche Obrig-
keit für ein heydnisch/ menschlich/ ungöttlich Ding/ als wä-
re es ein fährlicher Stand zur Seligkeit. Daher hatten
auch die Pfaffen und Mönche Könige und Fürsten so ein-
gerrieben/ und überredt/ daß sie andere Werck für sich
nehmen/ Gott zu dienen/ als Messe hören/ Messe stiften.
Summa: Fürsten und Herren/ so gerne fromm gewe-
sen wären/ hielten ihren Stand und Ampt für nichts/ und
für keinen Gottesdienst/ wurden rechte Pfaffen und
Mönche/ (ohne daß sie nicht Platten noch Rappen trugen)
wolten sie Gott dienen/ so müssen sie in die Kirchen. Tom.
VI. Jen, German. f. 8. 9. probat, summos imperantes sibi ob-
stri-*

strictos esse, quod auctoritatem ipsorum ex verbo Dei masculae afferuisset. Majus tamen beneficium est, quod doctrinam coelestem a fabulis, traditionibus nefandis, superstitionibus & idolomania repurgavit, ac Christum, qui dux, via & veritas est, nobis unicum salutis nostrae aeternae auctorem iterum monstravit. Utinam inenarrabile ac divinum profusus hoc Dei beneficium omnes agnoscerent, atque, ut par est, devota etiam mente praedicarent. Nos, o cives nostri, memores illius laeti & candidi diei, cras memoriam hujus beneficii in orbem Christianum collati, finitis sacris matutinis, recolemus, atque *eximium Dn. M. DANIELEM EBERSBACHIUM, Lauba-Lusatam, Theologiae cultorem praestantissimum, verba de innocentia nostri Lutberi, contra virulentam cleri Romani scommata, in templo Academico facturum* auscultabimus, Deoque immortalis, in Christi nomine, pro illo nunquam voce satis depraedicoando beneficio, debitas simul laudes ac gratias publice reddemus. Agite igitur, quotquot nobiscum unum ac unicum Pastorem animarum ac salutis nostrae auctorem Jesum Christum agnoscitis, ad tanti beneficii memoriam celebrandam animos erigite, Deum orate supplices, ut publicos omnes veritatis hostes a laribus nostris atque fortunis longe arceat, defendat ac veritatem coelestem servet illibatam. P.P. Dominica XXIII. Trinitatis, anno orbis redempti MDCCI.

L I P S I A E,

Litteris FLEISCHERIANIS.

